



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 131. Ludovicus Rex Florentinis ablata restitui jubet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXXXI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1502.

*Ludovicus Rex Florentinis ablata
restitui jubet.*

Post hæc Galliarum Rex, qui septimo abhinc Junii die Astæ morabatur, ad Italizæ Principes fecialem ablegat, eisdem imperans, sine ullo moræ dispendio Aretium, aliasque urbes, quas Florentinis eripuerant, iisdem restituerent; vehementius etiam cum Nuncio Apostolico exoptulabat, atque ad vindicandam injuriam Florentinis illatam comminabatur, se tota belli mole ditiones Ecclesiæ oppressurum. Nec hæ ipsius minæ caruerunt successu; quippe Pontifex illis perterritus, Legatum ad Regem decrevit, qui cuncta incio Papa ab Italis Principibus gesta fuisse testaretur. Neque his simulatam suam agendi rationem Valentinus Dux continebat; superadditis enim minis Vitelofio præcepit, Aretinam urbem quantocius ultro relinqueret, nisi armorum vi expelli mallet. Hæc audacia Galliarum Regi placuisse videbatur, quamvis illa nonnisi timoris, quo Papa, ejusque Filius percellebantur, effectus, minime vero sinceri animi argumentum esset. Præterea Ludovicus summum Pontificem aperto bello petere formidabat; plurimum enim rebus suis
inte-

Sæcul. XVI.
A. C. 1502.

intererat, ut Papam sibi benevolum haberet: accessit etiam Cardinalis de Ambasia sollicitudo, qua Regis iram in Alexandrum semper lenire satagebat: quapropter Pontifex hujus Cardinalis ambitione ad res suas, Ducisque Valentini amplificandas egregie utebatur, eidemque hunc in finem Sedis Apostolicæ in Galliis Legati dignitatem ad duodeviginti omnino annos prorogabat, Ducem vero filium suum ad Regem mittebat, in cujus aula tam potenti valebat auctoritate, ut quamvis de ejusdem violentiis quamplurimi quererentur, Ludovicus tamen cum Alexandro VI. novum foedus iniret, qua indulgentia, inquit Me-

Mezer. ab-reg. Chronol. hist. de Louis XII. p. 129. zerajus, „ non modo totius Italix indiam, sed forte etiam Dei indignationem in se concitabat; quibus enim societates est cum impiis, propitium sibi Numen habere nequeunt. „

§. CXXXII.

Totum ferme Neapolis regnum a Gallis recuperatum.

Alvar. Gom. hist. lib. 4. Joan. Ant. hist. Lud. XII. Guicc. l. 5. Interea vero Galli victricia arma in Neapolis regno latius circumferebant; Neapolitanus enim, cum Consalvo viribus superior esset, primo illum castris excedere compulit, postmodum cum toto Gallici exercitus robore Canosam cinxit, quam